

in quo Alexander Papa illum casum decidat, nisi textus iste in toto titulo de sponsalibus, ergo vidit Div. Thomas textum illum.

Alii dicunt D. Thomam locutum esse juxta rationem naturalem, quia sponsalia irrita, non sunt sponsalia, et sic nihil causare possunt, et similiter locutus est secundum jura antiqua in c. Si quis desponsaverit et II, XXVII, qu. II et juxta antiquorum expositionem, quousque per Bonifacium VIII, qui fuit post D. Thomam oppositum statutum est. Ita Silvester V matrimonium VIII, num. XXIV, dicto VI. Cæterum S. Thomas cum expresse citet ipsum textum Alexandri, quomodo potest dici, quod solam rationem naturalem, et non ejus decisionem secutus est? In illo autem capite: Si quis desponsaverit, non agitur de sponsalibus irritis, sed validis, imo aliqui putant esse ibi sermonem de sponsalibus de præsentibus quæ faciunt conjugium, idque ibi Gratianus insinuat post illum textum. Alii dicunt tempore D. Thomæ non fuisse in usu hanc decisionem Alexandri, quæ postea cum aliis decretalibus auctoritate Gregorii IX collectæ sunt per S. Raymundum. Cæterum tempore D. Thomæ jam illæ decretales erant evulgatæ, cum præcesserit Gregorius IX. S. Thomam, et ipse sæpius citat auctoritates ex istis decretalibus, et individualiter citat hunc textum Alexandri in loco citato, ergo erat in usu.

Alii distinguunt inter affinitatem sponsalium, et impedimenta publicæ honestatis, et dicunt Div. Thomam negare quod contrahatur affinitas, sed non impedimentum. Nam expresse loquitur de affinitate, seu de modo affinitatis, qui non contrahitur; statim vero dicit quod si aliquis minor habeat impedimentum impotentiae perpetuum, et contrahat sponsalia, nascitur impedi-

mentum publicæ honestatis; distinguit ergo D. Thomas inter affinitatem, et impedimentum hoc publicæ honestatis nihil aliud est quam affinitas quædam, seu modus affinitatis, quæ oritur ex dispensatione per verba de futuro inter fratres sponzorum, et ante extendebatur ad alios gradus propinquorum. Unde distinguere inter impedimentum hoc, et affinitatem est distinguere illud a sua essentia. Et Div. Thomas loco citato solut. ad I dicit: « Quod sponsalia causant hoc genus affinitatis, quod dicitur impedimentum publicæ honestatis, unde sicut matrimonium est perpetuum vinculum, ita et ille affinitatis modus. » Sentit ergo affinitatem illam sponsalium esse impedimentum.

Quare probabilius apparet, quod elicitur ex Durando illa distinctione XLI, quæstione XLII, qui etiam scripsit post decisionem Bonifacii VIII relatum, eamque confert cum decisione Alexandri III et dicit, quod decisio Alexandri III procedit in casu quo personæ desponsatæ ignorabant impedimentum irritans sponsalia, et ita cum consensu saltem præsumpto illa celebrarunt, quo casu optime voluit Pontifex impedimentum nasci publicæ honestatis, quia non defuit consensus, licet affuit ignorantum impedimentum irritans. Decisio autem Bonifacii VIII procedit simili modo; quia vult semper oriri impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus irritis ex quacumque causa, dummodo non sit ex defectu consensus. Unde si quis scienter cum impedimento irritante celebraret sponsalia, ex vi decisionis Bonifacii non resultaret impedimentum publicæ honestatis, non propter impedimenta illa irritantia secundum se, sed quia deesset consensus (quo casu determinat Pontifex non resultare tale impedimentum) eo, quod qui scienter cum tali impedimento

ARTICULUS IV.

Quid de aliis propositionibus in secundo genere objectis.

Contrahit, præsumitur non habere consensum, ubi autem deest consensus non nascitur impedimentum publicæ honestatis secundum decisionem Bonifacii. At vero decisio Alexandri loquitur de sponsalibus contractis cum impedimento irritante ignorato, atque adeo non sine consensu, quo casu nascitur impedimentum, sicut etiam docet Bonifacius. At vero Div. Thomas quando dicit omnia impedimenta, quæ faciunt sponsalia non esse sponsalia, non inducere affinitatem, loquitur de impedimentis scienter positis, et non ignoratis, et consequenter in quibus deest consensus, quo casu non loquitur Bonifacius, neque Alexander, nam loquitur Alexander III quando impedimentum fuit ignoratum a principio, et postea inventum, quod essent consanguinei, ut expresse dicit textus, et Bonifacius excipit simpliciter casum quo sponsalia sunt nulla ex defectu consensus. Et moveor ad hoc, tum quia Div. Thomas non ex quibuscumque sponsalibus impeditis dicit non nasci illam affinitatem, sed tunc quando sponsalia non sunt sponsalia, tunc autem impedimenta faciunt non esse sponsalia cum toto rigore, quando nec realiter, nec præsumptively sponsalia sunt, quod est quando scienter fiunt, quod eis deest consensus; tum quia expresse Div. Thomas ibi dicit ex impedimento ignorato in sponsalibus nasci affinitatem illam, videlicet quando est impotentia perpetua in puero ante pubertatem, sed post septennium, ergo idem diceret Div. Thomas de quocumque alio impedimento ignorato, quia est eadem ratio, solum ergo negat nasci affinitatem in quo ponitur impedimentum scienter, atque adeo cum deest consensus etiam præsumptively.

Quæ in secundo genere objecta fuere Div. Thomæ in primo articulo quod attinet ad philosophica, non solum non censemus esse indefensabiles opiniones, sed cæteris probabiliore, ut suis locis ostendimus, et fere omnes tractavimus in philosophicis. Solum tres examinabimus in præsentibus, quæ aliquid difficultatis habere possunt. Licet enim possit quis hæerere in quarta propositione quod zona æquinoctialis sit, inhabitabilis, sciendum est quod Div. Thomas I. par. quæst. CII, artic. II ad IV utramque opinionem refert, et addit ab Aristotele expresse teneri, quod sit inhabitabilis propter abundantiam caloris, et hoc videtur sibi probabilius, sed non ut propriæ sententiæ multum adhæret, subdit enim: « Quidquid de hoc sit, credendum est paradisum esse in loco temperatissimo sub æquinoctiali, vel alibi. » Nondum tempore Div. Thomæ navigationes monstraverant æquinoctialem habitari. Vide Cajetanum, 2-2, qu. CLXIV, art. I. Prima ergo propositio est: Quod inter cælos datur spatium divisibile alicujus corporis, ita quod sphaera non sint sibi contiguæ. Sciendum est ergo, quod D. Thomas in II distinctionis II, quæstione II, artic. II ad V affert solutionem quorundam, qui dixerunt in cælo formandam esse vocem a beatis per contractionem ipsius cæli, ad quam explicandam utitur quorundam astrologorum exemplo, qui, inter duas sphaeras, quæ non possunt scindi, ponunt aliquod spatium repletum corpore divisibili, cum in isto spatio sit motus planetarum secundum motum epicycli. Ubi se doctor, nec approbat,

nec reprobatur illam opinionem, sed utitur illa in exemplum, imo in fine articuli ponens, quod cœlum empyreum non scinditur per motum beati concludit: « Quid autem de his verum sit, incertum est, quia nec fide determinatur, nec ratione probatur. » Non ergo profert in hoc iudicium suum D. Thomas, sed suspendit, licet exemplo illo utatur.

Cæterum in aliis locis expresse negat spatium aliquod inter sphaeras cœlestes; ut patet in II de cœlo, lect. V, in fine ubi inquit: « Quod corpora cœlestium sphaerarum, se invicem tangunt, et sunt continua, id est, immediate sibi invicem conjuncta, nec est aliquod corpus intermedium quod suppleat vacuitatem sphaerarum ut quidam ponunt, sequeretur enim illa corpora esse otiosa, cum non habeant motum circularem. » Videndus est etiam doctor sanctus I-2, met. lect. X, ubi ex Aristotele excludit illam astrologorum opinionem de corpore intersecante sphaeras. Quare ex propria sententia nunquam D. Thomas tenuit esse corpus medium inter sphaeras cœlestes.

Secunda propositio est: Quod tantum sint decem cœli etiam numerando empyreum. De hac materia locutus est Div. Thomas tum in II dist. XIV, qui locus citatur ab adversariis, tum in I-2, met. commentando Aristotelem. Et semper locutus est Div. Thomas juxta ea quæ usque ad sua tempora ex astrologicis observationibus firmatum erat. Ille ergo locus ex distinctione XIV secundi sententiarum, valde parum urget, nam ibi solum Div. Thomas intendit explicare numerum cœlorum assignatum a Rabano, iste enim est titulus articuli: IV: Utrum numerus cœlorum convenienter assignatur a Rabano. Assignaverat autem Rabanus septem cœlos scilicet empyreum, crystallinum, sidereum, igneum,

olympium, æthereum, æreum. Explicat autem Div. Thomas hos cœlos, quia tres primi pertinent ad corpora cœlestia, reliqui quatuor ad illa corpora elementalia, quæ participant aliquid de proprietatibus cœli, scilicet vel claritatem, vel altitudinem situs. Et in illis tribus primis non explicat Rabanus sphaeras specialiter, sed in genere, nam sub cœlo sidereo intelligit etiam septem orbis planetarum, ut ibi explicat Div. Thomas ad tertium, quia omnes isti orbis habent aliquid de diaphano, et aliquid de stellato. Cœlum autem crystallinum est illud, quod est totum diaphanum, et caret omni stella, et hoc est supra cœlum sidereum, sed sicut sub cœlo sidereo continentur omnes orbis habentes stellam, seu planetam, sic sub cœlo crystallino duæ sphaeræ intelligi possunt, una quæ lentissimo motu volvitur scilicet novus orbis, alia quæ rapidissimo, id est, divino motu cietur, quod est primum mobile, uterque enim orbis est sine stellis. Et supra ipsos est cœlum empyreum. Quare ex hoc loco non potest deduci contra D. Thomam quod solum posuerit decem cœlos, cum non exprimat, an nomine crystallini intelligat unam solam sphaeram, vel plures.

Cæterum ipse Div. Thomas commentatus Aristotelem, XII metaph. lect. IX, textu XLIV occasione ejus, quod Aristoteles docet de numero substantiarum separatarum, quæ sunt tot quot orbis cœlestes, qui ab ipsis moventur, disserit de numero sphaerarum cœlestium, ubi sic inquit: « Considerandum est, quod post primam lationem, Aristoteles non computat nisi lationem planetarum, quia ejus tempore nondum erat deprehensus motus stellarum fixarum. Unde existimavit, quod octava sphaera in qua sunt stellæ fixæ esset primum mobile, et motor ejus primum

principium. Sed postea deprehensus est ab astrologis motus stellarum fixarum in contrarium primi motus, unde necesse est, quod super sphaeram stellarum fixarum sit alia circumdans, quæ revolvit totum cœlum motu diurno, et hoc est primum mobile, quod movetur a primo motore secundum Aristotelem. » Unde patet, quod tempore D. Thomæ nondum erat deprehensus præter motum, quem vocant trepidationis in octava sphaera, alius tardior motus, qui novæ sphaeræ convenit, quique secundum Alphonsum regem movetur quadraginta novem millibus annorum. Nam ut ibidem dicit s. doctor: « Motus aliqui cœlorum non possunt visu percipi, sed instrumentis astrologicis et considerationibus, et quidam longissimis temporibus, alii parvis. » Motus autem ille tardissimus, longissimo tempore deprehensus fuit, et licet circa tempora D. Thomæ jam de illo notum esset, quia Alphonsus rex cognomento sapiens, et alii qui de eo disputarunt, circa tempora Div. Thomæ floruerunt, rex enim Alphonsus mortuus est anno 1284, decennio post Div. Thomam, tamen res non erat adhuc omnino firmata, et sic D. Thomas ab ea abstinuit, vel ejus notitiam non habuit, sed de cœlorum numero disseruit juxta id quod usque ad sua tempora inter astrologos firmatum erat, non juxta id quod successu temporis repertum fuit.

Tertia propositio est: Quod in eo quod generatur ex speciebus eucharistiæ, non manet materia substantialis, sed quantitas loco materiæ. Circa quam notandum est quod Div. Thomas III part. quæstion. LXXVII, artic. V tres recitat opiniones. Prima, quod materia, vel substantia panis redit. Secunda, quod creatur de novo materia, quam opinionem dicit posse sustineri. Tertia, quod ex vi

consecrationis habet quantitas, quod sit vice materiæ, et primum subjectum subsequentium formarum; sed hoc quod est recipere subsequentes formas substantiales non facit quantitas manendo in genere quantitatis, et accidentis, sed quia transit, et convertitur in materiam primam, quæ deserviat generationi substantiali in instanti generationis, ut ibidem significat solutione ad tertium dicendo: « Quod quantitas accipit miraculose vim et proprietatem substantiæ et ideo potest transire in utrumque scilicet in substantiam, et dimensionem. » Non ergo sentit D. Thomas quantitatem in entitate accidentis manentem in rebus generatis, manere, sed in materiam converti divina virtute in instanti generationis; quod convenientius visum est D. Thomæ quam ponere creationem materiæ de novo, præsertim propter dicta sanctorum qui dicunt non creari materiam corporalem de novo præter eam, quæ facta est in initio mundi, ut dicit in IV ad Annibaldum, dist. XII, quæstione unica, art. III. Sed tamen utramque opinionem scilicet de creatione novæ materiæ, vel de conversione quantitatis in materiam D. Thomas probabilem reputavit, ut patet in IV dist. XII, qu. I, artic. II, quæst. IV et loco citato III p. ut ibi videri potest. Igitur D. Thomas licet excluderet quod materia, vel substantia panis redeat, eo quod conversa fuit in ipsum corpus Christi, tamen quod nova materia creetur, ut probabile admisit, et probabilius quod quantitas convertatur in materiam, sicut panis convertitur in corpus Christi, non tamen dixit quod quantitas in entitate sua accidentali manet loco materiæ in his quæ generantur ex speciebus. Et ita sequitur Cajetanus super illum locum III p. alique Thomistæ, licet aliqui voluerint manere quantitatem semper vice materiæ, sed non

est hæc mens D. Thomæ. Nec argumenta quæ Vasquez III tomo, III p. disp. cxcv, cap. III contra hanc sententiam opponit, cuidam convincunt, eo quod in principiis Div. Thomæ stando nos fatemur quodlibet ens creatum posse converti in illud conversione totali, non solum propter verificationem verborum quibus Sacramentum modo conficitur, sed propter impossibilitatem unius naturæ cum alia, quando hæc convertitur in illam; et ita potest Deus, vel creare novam materiam, vel quantitatem convertere in materiam sic dispositam, ac determinatam ad hanc formam ac si vere in illa dispositiones præcessissent, de quo hic non est locus disputandi, sed sufficit declarasse sensum D. Thomæ, et quod probabile, et probabilius judicaverit in hac parte. Suo vero loco, id est, III p. qu. LXXVII tractabitur.

Circa propositiones theologicas, quæ in hac serie objiciuntur, licet prout tamquam veræ a nobis defendendæ sint, et explicandæ suis locis, tamen aliæ, quæ vel falso, vel sine debita intelligentia opponuntur, breviter a nobis explicabuntur.

Prima: Deus futura libera solum conjecturaliter cognoscit. Est mera calumnia cum expresse D. Thomas III part. qu. XIV, art. XIII probet Deum intuitive, et certo videre futura contingentia in se ipsis, et non solum in sua causa.

Secunda: Futura conditionata non cognoscit Deus nisi per conjecturam. Nusquam hoc dixit Div. Thomas sed neque Thomistæ qui de hac re agunt, dixerunt, Deum per conjecturam ea cognoscere ex parte cognoscentis, sed objecta ipsa conditionata libera ex præcisa natura sua, ante omne decretum Dei non fundare certam notitiam, sed conjecturalem quantum est de se, quia non habent de se determinatam ve-

ritatem, sed indifferentiam ad unam, vel alteram partem. Unde ad veritatem determinandam in conditionatis, quando non opponitur conditio necessaria, seu necessitatem inferens, seu de se indifferens, et cum qua potest stare oppositum, oportet quod vel succurratur decreto divino ejus determinatio, vel ipsa conditionalis veritas formetur, tamquam ex conditione ex ipso decreto, vel ex ejus efficacia. Sublato autem omni decreto seu determinatione Dei, res manet incognoscibilis certo, et determinate ex se, sed conjecturaliter, licet Deus conjecturaliter non cognoscat, quia decreto utitur ad determinandam illam veritatem, de quo dicemus infra q. XIV agentes de divina scientia.

Tertia: Merita non reviviscunt. Calumniose objicitur, nam III part. qu. LXXXIX, art. V oppositum determinat. De modo vero quo reviviscant, an in tota sua quantitate statim, an in minori juxta dispositionem poenitentis, et casu quod non tota quantitas statim detur, an alio tempore detur in hac vita, vel in morte S. Thomas non determinat, sed juxta varias opiniones, etiam inter Thomistas varie sentitur, ut citato loco dicetur, et ibi videri potest m. Nugno, et Bagnez in relect. de augmento charitatis, et 2-2, q. XXIV, art. VI. Quod vero in substantia merita reviviscant, expresse dicit S. Thomas ibi.

Quarta: Non pertinet ad articulos fidei Deum esse. Non distinguitur hic sensus D. Thomæ sed diminute refertur. Deum esse prout demonstratur ratione naturali, et attingitur etiam sine fide dicit D. Thomas non esse articulum fidei, sed præambulum ad fidem, I p. quæst. II, art. I ad I. Deum esse, ut supernaturalis auctor, cum omnipotentia, et omnium providentia, et aliis quæ ratione naturali non om-

nino probantur esse articulum fidei docet in quæstione XIV, de verit. art. IX ad VIII. Et quod sic sit principale credibile in quo alia credibilia continentur, docet 2-2, quæst. I, art. VII. Manifestari tamen multa per fidem, etiam quoad ea quæ naturali ratione de Deo possunt cognosci, ut de facili etiam ab his qui demonstrationes nesciunt, cognosci possit, docet D. Thomas I p. qu. I, art. I et I contra gentes c. IV et VI.

Quinta: Formale unionis hypostaticæ est quædam fictio. Ipsa objectio est mera fictio. Nam III part. qu. II, art. VII, sic dicit D. Thomas: «Hæc unio de qua loquimur, non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum, in humana autem natura, quæ creatura quædam est realiter est, et ideo oportet dicere, quod sit quiddam creatum.» Nullus autem ita insanus est, ut velit unionem temporalem ponere realiter existentem in Deo cum sit immutabilis, sed solum in creatura realiter ponitur. Hæc autem a D. Thoma etiam affirmatur. An vero ista unio sit solum relatio, an modus aliquis absolutus medians inter humanitatem et Verbum, an aliquid, diversa quæstio est, in quo variant auctores, et suo loco explicabitur. Sufficit dicere quod secundum Div. Thomam non est aliquid fictum, sed reale, ut tenet se ex parte humanitatis.

Sexta: In consecratione calicis illa verba novi et æterni Testamenti sunt essentialia sicut illa: Hic est sanguis meus. D. Thomas dixit esse illa verba de essentia formæ, sed de substantia quod juxta ipsius doctrinam intelligitur de substantia quoad integritatem non quoad essentiam. Verba D. Thomæ sunt III part. qu. LXXVIII, art. III: «Quidam dixerunt quod de substantia formæ hujus est hoc solum quod dicitur: Hic est calix sanguinis mei, non autem ea

quæ sequuntur. Sed hoc videtur inconveniens, quia ea quæ sequuntur sunt quædam determinationes prædicati, id est, sanguinis Christi, unde pertinent ad integritatem ejusdem locutionis. Et propter hoc sicut alii melius dicunt, omnia sequentia sunt de substantia formæ usque ad hoc quod postea sequitur: Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.» Et infra: «Dicendum est ergo, quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ, sed per prima verba cum dicitur: Hic est calix sanguinis mei significatur ipsa conversio vini in sanguinem eo modo, quo dictum est in consecratione panis, per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi.» Multi ergo intelligunt idem esse apud D. Thomam dicere quod illa verba sunt de substantia formæ, ac dicere quod sunt essentialia, quod pertinet ad substantiam Sacramenti pertinet ad essentiam ejus, sicut etiam dicit III part. quæst. LX, articulo octavo quod si diminuat aliquid eorum quæ sunt de substantia formæ sacramentalis non perficitur Sacramentum. Nec putant hi auctores posse aliquid pertinere ad integritatem substantiæ, et non essentiam, ut Vasquez affirmat III tomo, III parte, disput. cxcviii, cap. IV ubi videri possunt alii quos allegat caput secundum.

Nihilominus Div. Thomas sufficienter explicavit mentem suam, quod loquitur de substantia formæ pro integritate, non pro ratione essentiali. Quod ex duobus perpendi potest. Primo, quia in citatis verbis dixit D. Thomas quod illa verba pertinent ad integritatem locutionis, et postea subdit, quod sunt de substantia formæ, et idem habet in IV distinct. VIII, quæst. II, articulo II, quæstiunc. I. Cum ergo hoc nomen substantia sit indifferens ad essentiam, vel ad integritatem, si prius